

pulturâ Christi hic à Propheta descriptâ desideratum usum præbent, e. g. Rom. 6, 4. 2 Cor. 5, 14. 15. Col. 2, 12. &c. Quod si verò scriptura non in omnibus dictis eundem usum doceat, an propterea eidem vel Spiritui S. in ea loquenti dicam scribemus? Certe si Spiritus S. eum usum hic exprimere voluisset, nullum est dubium, quin clarioribus & magis accommodatis ad verbis hanc rem significandam usus fuisset.

§. 24. Missis itaque & remotis superioribus sententiis, accedimus ad illos, qui propius verum & genuinum dicti nostri sensum attingunt: Inter quos (1) B. noster Wasmuthus est, qui in sua disputat. Inaugurali Controv. IV. Verba textûs nostri ita transfert: *Et adstituit Christus improbos (milites) sepulchro suo, & divitem (illum de Arimathia) excelsis suis vel exaltationi h. e. cruci suæ* (2) B. Pfeifferus Dub. Vex. ad h. l. qui in nonnullis B. Wasmuthum secutus ita vertit: *וַיִּתֵּן אֶת אֲדִיטוּתוֹ (vel adstituent, impersonaliter) אֶת רְשָׁעֵי־מִלְחָמָה (impios (profanos milites) sepulchro ejus, & דִּיבְיָתָא (i. e. Collectivè divites sc. iniquos, quales plerique sunt, in specie tales, qui ob divitias rapinis student, prædones seu latrones inquã adstituent vel dabunt socios ipsi) בְּמִיתוֹ in mortibus ejus.* In quã quidem in primis B. Wasm. explicatione lubens quiescerem, nisi B. Vir (1) Eum, qui *adstituit*, fecisset Messiam, cum is rectius Deus Pater intelligatur & (2) vocẽ *וַיִּתֵּן* per *Excelsa* reddidisset, cū sub hac punctatione nunquam pro *Excelsis* sumatur, ceu supra §. 19. con-

D

tra